

**Oratio de re medica cognoscenda et promovenda. Habita apud Societatem Medicam Londinensem ... MDCCLXXVII. Cui accessit, via tuta et jucunda calculum solvendi, in vesica urinaria inhaerentem; ab historia calculosi hominis confirmata / [Nathaniel Hulme].**

### **Contributors**

Hulme, Nathaniel, 1732-1807.  
Medical Society of London.

### **Publication/Creation**

Londini : G. Robinson & P. Elmsly, 1777.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pqrzvsgj>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



29,663/B



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30547088>





2019  
5/16

B.I. 9 18

47257

# O R A T I O

D E

## R E M E D I C A

COGNOSCENDA et PROMOVENDA.

H A B I T A

APUD SOCIETATEM MEDICAM LONDINENSEM,

Die XVIII JANUARIi, Anno MDCCLXXVII.

A U C T O R E

NATHANAËLE HULME, M. D.

COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS:  
MEDICO DOMUS CARTHUSIANÆ, &c.

CUI ACCESSIT,

VIA TUTA ET JUCUNDA,  
CALCULUM SOLVENDI,

IN VESICA URINARIA INHÆRENTEM;

AB HISTORIA CALCULOSI HOMINIS,  
CONFIRMATA.

Ο βίος βραχὺς ἢ δὲ τεχνὴ μακρὴ. Hip.

- Turn over -

L O N D I N I :

Prostant apud G. ROBINSON, Pater-noster - Row.:  
et P. ELMSLY, in the Strand.

M.DCC.LXXVII.

John Walker  
Hawood Hill  
Belmore  
Dec 3. 1828

Witnesseth that he

The present owner of this volume which he has possessed  
more than 20 years - this day Dec. 3. 1828. being Calcott's  
Tract. (this sensible writer was perhaps the first clerical witness  
of that most illustrious, humane & talented layman - the faithful student of Nathaniel  
Duke John Hutchinson - the encouragement of many recoveries - the next page  
the...





E R R A T A.

Pag. 31. lin. 22. *leg.* deceptum.

44. l. 12. . . unus.

44. l. 20. . . altera.



# O R A T I O

D E

R E M E D I C A

COGNOSCENDA et PROMOVENDA.

§. I.

DOCTISSIMI AUDITORES,

“**U**T alimenta sanis corporibus Agricultura, sic sanitatem ægris Medicina promittit’.” Promittit quidem Medicina; sed non semper respondet. Hæc ars itaque quasi trunca et debilis, usque ad hæc nostra tempora pervenit. Ad vos igitur, ad vos pertinet, magis validam, magis firmam eam reddere. Quibus au-

’ Cels. in præfat. p. 1.

B

tem



tem modis hoc fieri potest, nunc breviter dicendum est. In primis, necessarium est cognoscere omnia quæ, de hac re, ab aliis proposita fuerunt. Deinde, discernere quod utile, quod non; quod certum, quod incertum; quod denique verum, quod falsum. Tunc demum, sufficere quod desit. Quantum campus disquisitionum nobis patet! Quodam ordine incipiendum; unde incipiendum; quomodo pergendum est? Quid operæ, quid iudicii, quid doctrinæ, quid experientiæ, necessarium erit ad hæc omnia recte exploranda! Opus et difficile, et longum est. Dextra Scylla minatur, sinistra sub undis latet Charybdis. Nunc, æquor tutum placidum navigamus, et portum securum expectamus; nunc, tenebris nigrescunt omnia circum, et ventis adversis, a cursu nostro, depellimur. Atque ubi ad portum optatum ventum est, votis nostris sæpe minus respondet; multa adhuc defunt, et necesse est ut alto nos iterum committamus, ad nova investiganda:

Quippe ita NEPTUNO visum est: immania cujus  
Armenta, et turpes pascit sub gurgite phocas.  
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus; ut omnem  
Expediat morbi causam, eventusque secundet.

Nam



Nam sine vi non ulla dabit præcepta, neque illum  
Orando flectes.

VIRG. Georg. L. IV.

§. II.

INCIPIAMUS a natura corporis humani. Circu-  
itum sanguinis cognoscimus; verum quomodo fa-  
ciamus guttulam etiam minimam, ejus humoris,  
nescimus. Omnes musculos corporis, suis nomi-  
nibus propriis vocamus; quibus autem modis digi-  
tus etiam movetur, prorsus ignoramus. Nervos  
in paria collocamus, in ramos distribuimus, et eos  
ad fibrillas suas minutissimas persequimur; quis  
autem adhuc ipsorum modum agendi recte expo-  
suit? Hepatis, pancreatisque, structura communis  
nota est; verum cur hoc, succum pallidum mi-  
tem salivarium secerneret, illud autem succum  
flavum amarum, non scientia comprehendimus.  
Lien, viscus satis magnum est; usum ejus tamen  
conjectura tantummodo prosequimur. Thymus,  
glandula conspicua est; haud scimus autem cur  
formatur. Quid de cerebri structura dicendum  
est? an ignorantiam nostram fateamur, et libera-  
liter concedamus, nihil de hac re nobis apte cog-



nitum fuisse? Atque ita sinceritatem et veritatem anteferre laudi hominum, ex subtilibus opinionibus conjecturisque, acquisitæ. Quidam cerebri historiam, et ordinem ejus partium, proposuerunt non minori confidentia et audacia, quam si coram ipsi adfuissent quando admirabilis hæc machina formata erat, consiliaque omnia magni artificis cognovissent! Sensorium commune quidam in ventriculis anterioribus posuerunt, memoriam in posterioribus, judicium vero in mediis; ut hoc facilius eas imagines animi consideraret, quæ a circumjacentibus ventriculis profluunt. Quidam autem sensorium commune ad corpora striata annexerunt, vim imaginandi ad corpus callosum, memoriamque ad substantiam corticalem. Id quidem certum est, cerebrum esse organum animæ præcipuum; et instrumentum cujus ope multa admodum mirabilia efficit. Ipsa autem anima, quæ cogitat se posse omnia comprehendere, suamque nullis limitibus prorsus circumscribi scientiam; domicilium suum delineare minime potest, et nullibi peregrinari magis videtur quam domi<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Vid. Exposit. Anatom. de la Structure du Corps Humain, par J. B. WINSLOW, p. 641. & seq.



HÆc desiderata solummodo enumeravi, ut monstrarem vobis multa esse adhuc exploranda, in hac parte artis; et ut excitarem vestram industriam pertinaciamque ad nova invenienda in œconomia animali. Licet enim non illico perspicere, abditas actiones variorum organorum corporis possimus; tamen summa diligentia opus est, ut eorum veram structuram reperiamus; atque ita paulatim progrediamur, tandemque ad veritatem accedamus. Per quam multa secula, circuitus sanguinis, arcanum quasi impenetrabile latebat; donec stella nostri HARVEI orta est, novamque lucem rei attulit? Nunc vero, nostris temporibus, quod repertum fuit, quam facile quam familiare nobis apparet; sic ut plane mirandum videatur, aliquem corpora animalia incidentem, id ipsum ignorare potuisse!

QUINETIAM, id nobis apte demonstrat quam utilis est Anatomia, sive ars incidendi corpora mortuorum; quæ nos doceat veram posituram, magnitudinem, structuram, usumque, partium variarum corporis humani. Quicumque machinam quamvis juste ac plane comprehendere avet, in partes debet eam caute dividere; deinde quamque partem, et  
per



per se, et cum cæteris junctam accurate scrutari. Quis enim machinam emendare potest, qui prius ejus structuram non cognoverit? Vel quis partem affectam scire potest, qui verum positum ullius visceris nescit? Igitur anatomicæ investigationes, nunquam possunt nimis laudari. In hac parte, medicæ disciplinæ, recentiores longe antiquis præstiterunt. Satis erit mentionem facere nominum HAVERSI, de ossibus; COWPERI, de musculis, arteriis, et venis; WILLISII, de nervis; LOWERI, de corde; RIDLEII, de cerebro; MALPIGHII, de pulmone; GLISSONII, de hepate; DRELINCOURTII, de liene; FABRICII AB AQUAPENDENTE, de ventriculo et intestinis; ASELLII, de vasis lacteis; BARTHOLINI, de vasis lymphaticis; PECQUETI, de receptaculo chyli; WHARTONI, de glandulis; VIRSUNGII, de ductu pancreatico; EUSTACHII, de renibus; REGNERI DE GRAAF, de partibus genitalibus; HARVEI, de motu cordis et sanguinis, et de generatione animalium; GUALTHERI NEEDHAM, de formato fœtu; HUNTERI, de utero gravido; RUYSCHII, MORGAGNII, et HALLERI, de variis et præstantissimis rebus anatomicis.



## §. III.

A STRUCTURA corporis humani, ad ejus morbos transitus facilis est; vix enim illud diu manet in eodem statu. Calor, frigus; cibus, potio; motus, quies; affectus animi, et mille aliæ res; id ipsum celeriter mutant. Officium autem medici est, regulas his dare; sic ut sanitatem hominis conservet, vitam proroget, morbosque depellat. Non immortalitatem alicui donare proponimus, cum fors hominis sit semel mori; ita sapienti Creatori omnium placuit, ideoque ubi tempus destinatum aderit, voluntati ejus, cedere reverentia summa nos oportet: iter autem vitæ magis placidum reddere, angoremque mortis levare, in arte inest. De his autem rebus dicenti, ubi incipiendum est? vel qua ratione utendum? Multæ enim viæ sunt, quæ ad mortem tendunt; sicut eleganter dixit MILTONUS, HOMERUS noster Britannicus:

*Some — — — by violent stroke shall die,  
By fire, flood, famine; by intemp'rance more  
In meats and drinks, which on the earth shall bring  
Diseases dire: — — — All maladies*

*Of*



*Of ghastly spasm, or racking torture, qualms  
 Of heart-sick agony, all fev'rous kinds,  
 Convulsions, epilepsies, fierce catarrhs,  
 Intestine stone and ulcer, colic pangs,  
 Demoniac phrenzy, moaping melancholy,  
 And moon-struck madness, pining atrophy,  
 Marasmus, and wide-wasting pestilence,  
 Dropsies, and asthmas, and joint-racking rheums.*

Parad. Lost. B. XI.

MORBI, in libris medicis, diversim positi fuerunt, diversis ætatibus, et diversis auctoribus: alii eosdem diviserunt in acutos et longos; in internos et externos; alii secundum partes affectas, velut in morbos capitis, cervicis, pectoris, abdominis, artuumque; et in eos qui mulieres, et pueros præcipue afficiunt. BOERHAAVIUS a vitiis fibræ solidæ simplicis incipit; et geometrico progressu, a simplicissimis ad magis composita transire conatur. Idea simplex est, jucunda, speciosa, rationalis; in usu autem, rarissime morbus omnino simplex occurrit; sæpius quidem morbi, inter se ipsos, maxime implicantur. BOISSIER DE SAUVAGES, ejusque æmuli, mala corporis, secundum eorum indicia, aliis plerumque rejectis, disposuerunt in ordines, genera, et species; more modoque eorum qui herbarum scientiam, rerumque



que naturæ exercent : sic similia similibus propius junguntur, et ea in quibus discrepant clarius apparent. Utriusque propositum quod laudari habet, et quod culpari potest ; itaque vobis operæ pretium erit, magis perfectum opus reddere. Quod facillimum et simplicissimum erit, et usui, et historiæ accuratæ morborum optime accommodatum, anteferendum est.

Ex omnibus morbis, qui corpus humanum afflixerunt, febres maxime populares et perniciosæ sunt. Sine febre enim, homo rarius degit vitam ; sine febre rarius moritur. Igitur ad id vitium recte cognoscendum, vos animum intendere præcipue oportet ; quod, prout experientissimus SYDENHAMUS dixit, duos fere trientes, eorum qui morte occumbunt, tollit. “ Et profecto haud oscitanter impugnandum est (inquit) hoc morborum tam pestiferum agmen ; quod nullo non die cum genere humano bellum gerit internecinum atque *ασπονδον* ; et cujus telis duo ad minimum hominum trientes, si eos demas, qui violenta morte perimuntur, confossi quotannis occumbunt<sup>1</sup>”. Febres

<sup>1</sup> Sydenh. Sect. VI. cap. VII. p. 286.



sæpe tam varias formas assumunt, ut auctoribus deficiant nomina, quibus eas exprimant. Conandum est eorum numerum minuere, et notiones magis certas iis affigere; sic ut inter se confundi non possint. Unum pro certo habeo; scilicet, febres quamvis nomine, et quibusdam notis, tamen non semper in curatione discrepare. De natura et causa febrium quoque, auctores aliter aliterque sentiunt: igitur de hac re satis licentiæ est, et ad ingenium et industriam vestram exercendam. Febres ubi positæ sunt? an in corde? an in cerebro? an in nervis? an in glandulis? an in vasis lymphaticis? an in sanguine? an in humoribus secretis? an in toto corpore? an in partibus. Cujus generis, figuræ, et habitus, sunt corpuscula quæ febres movent? an in cœlo hæc, an in terræ visceribus; an in cibo potuque maxime inhærent? cur horrore incipiunt febres? cur aliæ febres caput potissimum, aliæ fauces, aliæ pulmones, aliæ jecur, aliæ intestina, aliæ glandulas, aliæ membra, aliæ summam cutem vexant? cur aliæ semel tantummodo, aliæ multoties corpora humana affligunt?

CAL-



CALCULUS, in viis urinæ hærens, malum atrocissimum est; adversus quod, nullum remedium tutum et efficax, adhuc inventum est. Arduum certe est prævenire, præcipue vero solvere tale solidum, compactum, filiceum, concretum, in corpore humano, quale calculus est; et a medicamentis assumptis, tam longe remotum. Id tamen ex toto nos deterrere minime debet; aliquid enim tandem fortasse cogitandum, ad morbum a vinculis solvendum, et tuto et jucunde e corpore, cum urina ejiciendum. Attractio electa, sive affinitas corporum, haud mediocrem spem nobis præbet. Quot varia nuper, in aëre fixo dicto, observata fuerunt! quorum nonnulla ad calculum ipsum, extra corpus solvendum, jam a GULIELMO SAUNDERS et THOMA PERCIVAL, accommodata fuerunt<sup>1</sup>. Ejus autem aëris vis, quod ad calculum intra corpus, nondum reperitur; igitur, vestra investigatione, maxime digna est.

PODAGRA, inter opprobria medicorum, diutius annumerata fuit; ad vos igitur, viros experientissimos, ignominiam tollere attinet.

<sup>1</sup> Vid. Percival's Philos. Medic. and Experim. Essays.



STRUMA, vitium impurum et fœdum est, quod, vultu suo glabro et inæqualiter tumido, medicum assidue tuetur ; et vehementer auxilium quasi implorat, ad hanc deformitatem removendam ; æque potenter et specialiter ac cortex Peruvianus febris intermittenti, vel argentum vivum lvi venereæ succurrit.

AFFECTIONES hystericae, et fluor albus, vel præcipue fatigare et ægrotas et medicos etiamnum solent.

IN curatione ejus affectus, cui Επιληψιας Græcis nomen est, tantillum profectus fecimus, ut, usque ad hunc diem, *morbis sacer* recte nominetur.

ID malum, quod Παραλυσιν Græci vocant, membra hominis adeo adhuc solvit, ut rarius ad pristinum statum iterum reduci possint.

QUIS contra morsum rabiosi canis, remedium certissimum proposuit ? solet enim adhuc ex eo vulnere, aquæ timor nasci, Υδροφοβίαν Græci adpellant,



lant, miserrimum genus morbi; in quo simul æger, et siti et aquæ metu cruciatur<sup>1</sup>.

ILLA tabis species, quam Græci *Φθισιν* nominaverunt, observatione vestra gravi maxime digna est; cum tam vulgaris, tamque exitiosus morbus sit. Nullane disciplina proponenda est, quæ pulmones agitados pacare possit; et febriculam hanc extinguere? Britannia, commercii sui ope, remediorum et Europæ, et Asiæ, et Africæ, et Americæ, magistra est; verum in his regionibus nullane herba invenienda, quæ vitium hoc tabescens coërceat? Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo<sup>2</sup>.

CORPORA morbida incidere maxime necessarium, ad sedes et causas morborum detegendas, igitur a vobis minime negligendum est; et quamvis forsitan neque hæ neque illæ præcise reperiantur, quod interdum evenit, nihilominus tamen aliquid sic, plerumque se ostendit, notitia dignum. Manifestum est, causam proximam ejus mali quod no-

<sup>1</sup> Cels. Lib. v. Cap. xxvii. p. 308.

<sup>2</sup> Virgil. Ecl. iii. ver. 104.



stris *Hydrocephalus internus* appellatur, hac re neglecta, nunquam cognosci potuisse; sed semper nobis latuisse. Et fortassis ob hoc evenit, id malum leviter tantummodo, usque ad hæc nostra tempora, notum fuisse: ingeniosissimus enim ROBERTUS WHYTT, primus omnium, ejus causam naturamque recte exposuit<sup>1</sup>. Verisimile autem est, quod hoc ipsum malum nunquam non corpora puerilia affligerit. Quam multa et maxime utilia, sic inventa fuerunt, ab illustrissimo MORGAGNIO, quæ nuper memoriæ prodidit, in suo admirabili libro, De sedibus et causis morborum! Igitur sæpe optavi Societatem esse institutam, præmia dandi causa pauperibus iis, ad quos cadavera morbida forsan pertineant; et peritos viros assignari ea diligenter incidere, historiam brevem casus componere, et tum publice edere. Hæc enim, et cito, et maxime scientiam medicam augerent; et sic mala nupera mortuorum, ad bona viventium conduce-  
rent.

<sup>1</sup> Vid. The Works of ROBERT WHYTT, p. 725. — Observations on the Dropsy of the Brain. Edinb. MDCCLXVIII.



## §. IV.

ILLA pars medicinæ, quæ manu curat, Chirurgia nominatur; ad eam dux fidelissima anatomia est; sine qua admodum clauda et cæca quasi foret. Hæc igitur ita necessaria est, in hac parte medicæ scientiæ; ut nullo modo omitti possit. Qui positum, magnitudinem, figuram, colorem, cujusque partis internæ ignorat, quando ad scalpellum currendum est, quomodo scire potest quâ ferrum conditurus est, vel quid secuturum erit; vel etiam, ubi patefacta sunt interiora, cognoscere quid integrum, quid corruptum sit? Talis quidem mactantis, non medentis, vicem exhiberet!

MANUS perita et prompta, quam præcipue utilis Chirurgus est; interdum motus singularis manus os luxatum, vi magna prius incassum tentata, in sedem propriam facile reduxit. Per motum peritum manus, hernia laborans non semel, a periculo scalpelli, abreptus est.

LEGES



LEGES machinalis scientiæ recte comprehendere, Chirurgus maxime commodum est; quoniam illum reddit magis aptum ad instrumenta, fascias, ferra-  
menta nova utiliaque invenienda et applicanda: non in contemplatione tantum hujus scientiæ, sed in usu ejus versari debet. Qui hanc disciplinam sic didicit, cæteris paribus, utilior Chirurgus erit, ut res mihi videtur, quam qui eam ipsam neglexit.

“ ESSE autem Chirurgus debet adolescens, aut certe adolescentiæ propior; manu strenua, stabili, nec unquam intremiscente, eaque non minus sinistra, quam dextra promptus; acie oculorum acri, claraque; animo intrepidus, immisericors, sic, ut sanari velit eum, quem accepit, non ut clamore ejus motus, vel magis, quam res desiderat, properet; vel minus, quam necesse est, secet: sed perinde faciet omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur<sup>1</sup>. ”

<sup>1</sup> CELS. Lib. VII. in præfat. p. 406.



## §. V.

Ad manum quoque pertinet illa pars artis, quæ Obstetricium vocatur; in qua sæpius maxima peritia est, parum potius quam multum agere: natura plerumque hîc, per se, optime succurrit. Patientia et lenitas, quam maxime requiritur, iis qui hanc artem exercent. Oculus sapientiæ et iudicii quasi, summo digito artificis poni debet; ut, quod in tenebris latet, salva matre, in lucem feliciter prodeat. Fœmina enim, per partum, catenam splendidissimam naturæ humanæ format, per quam connectuntur consanguinei cari, omnesque charitates et patris, et filii, et fratris.

Si instrumentis uti opus sit, quo simpliciora, et minus spatii implerint, quando in uterum recipiuntur, eo aptiora erunt. Atque si unquam necesse foret caput infantis, utero hærens, aperire, (horrendum opus!) artifex, cerebro tenero perforato, temporis aliquantum daret, antequam corpus extraxerit, ne forsan infans non omnino mortuus esset. Evenit enim infantem, in luminis oras tractum, hoc in casu, signa evidentia vitæ adstantibus monstrasse.

D

QUI-



QUINETIAM si, inter partum, quid insoliti contingeret, artifex minime perturbari debet, sed leniter et prudenter rem examinare. Quo plus periculi, eo plus fortitudinis opus est. Uterus ipse inopinanter lacerari potest, ac vel infans, sedes suas relinquens, in alvum matris ascendere; vel etiam, partu recte finito, intestina puerperæ per naturalia descendere possint; unde artifex, tali nova re perterritus, velut corpus aliquod inutile extraneum, ea inscianter abscindere posset, atque inde culpam uteri in se ipsum transferre.

§. VI.

ANTEQUAM ad medicinam exercendam perveniamus, multa prius discenda, quæ ad principia artis potissimum attinent; nec ea, ex toto prætermittenda, quæ adjuvant excitando artificis ingenium. De Anatomix necessitate et utilitate jam diximus; nunc ad alia necessario scienda transeundum est.

MATERIÆ Medicæ cognitio, cum curatione morborum intime connectitur. Doctrinas instrumentorum continet, quibus medicus agit, historiamque earum rerum quæ medicamenta efficere possunt.

Scientia



Scientia plantarum, et jucunda et necessaria est ; ad sanitatem etiam corporis, ac animi cultum confert. Non satis est tamen, omnes terræ herbas vocare propriis suis nominibus, figurasque earum delineare ; id tantummodo rudimenta tanquam ejus scientiæ comprehendit ; maxima res est earum vires facultatesque invenire ; et ad usum, et salutem hominis applicare. Dictum fuit, herbas cujusque regionis, remedia parare, prompta in auxilium omnium ejus morborum : si id verum sit, maxime nos oportet imprimis investigare vires herbarum nostræ regionis ; et non tantummodo eas disponere in classes, ordines, genera, species. “ Et sane dolendum est, (inquit SYDENHAMUS) plantarum naturam nondum magis exploratò nobis innotescere ; quæ mihi videntur reliquæ omni, quæ patet, Materiæ Medicæ palmam præripere, et quæ inveniendorum de quibus jam diximus remediorum (nempe specificorum) uberrimam nobis spem faciunt : Cum animalium partes cum humano corpore nimium convenire videantur, nimium diffidere mineralia ; unde est quod mineralia indicationibus potentius respondere, quam vel plantas, vel ex animalibus desumpta, lubens fateor ; at non



specificè tamen mederi, eo quo diximus sensu ac modo<sup>1</sup>”. Præterea, herbæ simpliciaque medicamenta, in variis rebus, compositis præstant; sine multo opere usui aptantur, nec tam facile adulterantur, neque tam cito corrumpuntur, quam magis composita.

FACULTATES medicamentorum, aliqua ex parte, interdum cognosci possunt ex odore, sapore, vel ex eorum manifestis effectibus in corpus integrum; sed ex his solis judicare, ut quidam contenderunt, habet equidem quod speciosum est; sed maxime fallax. Oleum purum, exempli gratia, odore vacat et sapore, et sine ullo effectû sensibili assumi potest; idem vero, quamvis ita inodorum, insipidum, inefficax, tamen venenum subtilissimum viperæ celeriter et rapit, et vincit; adeo ut valentius fiat, adversus venenorum pericula, quam nobilissimum illud antidotum regis Mithridatis. Cortex Peruvianus, liberaliter etiam assumptus, corpore sano, pro nihilo est; febre autem laboranti idem datus, miros edit effectus. Scorbutus, perniciosissimus ille navigantibus morbus, jure, pomo,

<sup>1</sup> Sydenh. in præfat. p. 30.

omnique



omnique genere oleris, quod pro cibo quidem hominis est, celeriter tollitur: adeo simplices sunt operationes naturæ, semperque nobis admirandæ¹.

## §. VII.

CHEMIA, nobis ostendit partes componentes, omnium corporum; in corpuscula minutissima eas resolvit, iterumque coïre facit. Nobilis ars est, ideoque nobis diligenter colenda; ex hac enim multa et præclara medicamenta orta fuerunt. Clarius nobis patefacit illam admirabilem proprietatem materiæ, attractionem electam dictam; quæ, PROTEOS modo, rerum naturæ corpuscula mutat in omnes formas, omnes colores, omnes odores, omnes sapores. Itaque ad Medicamentariam, five artem conficiendi medicamenta, maxime pertinet: namque sine hac notitia quis, duabus rebus simul mixtis, dicere potest quid iis futurum sit? mixtura omnino diversa, ab ea quæ medici erat in animo, oriri potest!

¹ Hulme de Scorbuto, in præfat. p. ix.



MYSTERIUM princeps, ejus partis scientiæ, in cognitione perfectæ, eorum quæ vel inter se attrahunt vel repellunt, positum est. Omnes naturæ partes, pro sua investigatione sibi vendicat; complectens regna animalia, vegetabilia, mineralia, cum igne, aqua, terra, aëre. De aëre solo, quot nova et mirabilia nuper inventa fuerunt, maxime a diligentia, et ingenio, clarissimorum virorum STEPHANI HALES<sup>1</sup>, GULIELMI BROWNRIGG<sup>2</sup>, JOSEPHI BLACK<sup>3</sup>, Nobilis HENRICI CAVENDISH<sup>4</sup>, JOANNIS PRINGLE Baronetti<sup>5</sup>, DAVIDIS MACBRIDE<sup>6</sup>, et JOSEPHI PRIESTLEY<sup>7</sup>! Quamdiu aquæ acidulæ, disquisitiones ingeniosissimorum virorum, evaserunt! nunc autem, Chemiæ ope, iis ipsis tam accurate æmulari possumus, quam in victoria naturæ quasi exultare; et facultates earum aquarum eo modo variare, quo optime nobis placeat.

<sup>1</sup> Statical Essays.   <sup>2</sup> Phil. Transf. vol. LV. p. 235. et seq.   <sup>3</sup> Eff. and Observ. Physf. and Liter. vol. II. p. 157. et seq.   <sup>4</sup> Phil. Transf. vol. LVI. p. 141. et seq.   <sup>5</sup> Append. to Observ. on the Diseases of the Army.   <sup>6</sup> Experim. Essays.   <sup>7</sup> Experim. and Observ. on different kinds of Air.



VOCABULA *aëris fixi, inflammabilis, acidi, alcalini, et nitrosi*, nuperrime tantummodo in artem accepimus; ob quam causam omnes eorum proprietates vix adhuc patent, itaque quæ latent vobis diligenter scrutandæ sunt. Eadem res, diversim applicata, aliter aliterque operabitur. Aër fixus, in pulmones receptus, vitam protinus extinguunt; idem tamen, in ventriculum et intestina acceptus, ad sanitatem humanam maxime confert. Idemque tum vapor, ut res videtur, per totum corpus fertur, et mirandum auditu! quod prius volatile erat nunc fixum est, et fit quasi vinculum omnium corporis humani partium: cum enim rursus avolat, durissima etiam subito solvuntur<sup>1</sup>. TIMOTHÆUS LANE vero nuper demonstravit, ferrum ipsum, per ejus aëris vim solam, in aqua solvi, et in corpus unum cum ea coïvisse: et hoc modo, ut putat, aquæ chalybeïæ a visceribus terræ eruperunt<sup>2</sup>.

AB experimentis, ingeniosissimi JOSEPHI PRIESTLEY, patet nigrorem sanguinis venarum oriri ab

<sup>1</sup> Hulme de Scorbutto, p. 67.

<sup>2</sup> Phil. Transf. vol. LIX. p. 216. et seq.



eo principio ignis, quod *φλογισον* Chemicis recentiores vocant, idque imbibere de variis liquoribus circumeuntibus; interque transitum suum per pulmones id ipsum exhalare in aërem inspiratum, qui id libenter accipit statimque cum eo coit; tumque sanguinem, rubrum colorem adipisci, et magis purum, magis aptum fieri necessitates vitæ subministrare; ideoque institutum respirationis esse *φλογισον* id a sanguine separare; pulmonesque esse quasi caminum, vaporem illum igneum noxium, e corpore exportare: experimenta sane pulchra, quæ lumen novum usui respirationis affundunt\*. Sed per experimenta, quid non fieri, quid non cognosci potest! Horum exemplum unum vel alterum clarissimum, extra artem nostram liceatne mihi dare? Ignis ipse furens, omnia prius devorans, nunc ope laminæ tenuissimæ ferri, in suo rapido cursu, facile cohiberi potest; sicut flammæ experimenta, DAVIDIS HARTLEY Armigeri, splendide ostenderunt. NEWTONUS ille magnus, plurima sua mente comprehendens, gravitatis inclinationem, vel attractionem universalem, in quaque

\* Phil. Transf. vol. LXVI. p. 226. et seq.



parte materiæ mundi inhærentem hominibus proposuit ; per quam sol, terra, luna, stellæque omnes, velut in libra, per se pendent, omnesque suos motus recte perficiunt ; per experimenta autem, ejus rei veritatem, Reverendus NEVIL MASKELYNE, Astronomus Regius, ex attractione montis Schehallien in Caledonia, jam nunc nitide demonstravit<sup>1</sup>.

## §. VIII.

HISTORIA animalium, et Anatomia Comparativa, structuram et usum, variarum partium corporis humani, maxime explicant ; igitur non prætermittenda sunt. Aperiant quoque animi vires, et nos docent opera rerum naturæ admirari et revereri ; et ad Dei notitiam ter Opt. Max. ducunt !

ANIMALIA, ex solidis partibus fluidisque circumstantibus, componuntur ; in forma et magnitudine potissimum discrepant, mirabiliterque apta nata sunt ad suas functiones multiplices perficiendas. Non

<sup>1</sup> Phil. Transf. vol. LXV. p. 500. et seq.



in statura vis est; illud enim animal minutum formica, æque vivida et perfecta est ac elephas ingens. Gradatio modica est, ex fabrica animalis rudissimi, ad id quod perfectissimum est; et inter hæc duo varietas infinita. Principium animatæ materiæ nobis apparet ita quasi inanimum esse, ut paululum distet ab eo quod in quibusdam vegetabilibus observare licet: Mimosa<sup>1</sup>, a tactu recedit; et foliola alius plantæ, nuperrime in Britanniam importatæ, ab Indiis Orientalibus, Hedyсарum mobile<sup>2</sup> nostris vocatur, per sese etiam, motus animales varios, perficiunt. Itaque partitio tenuissima est, inter vitam vegetabilem et animale; sive inter animatam substantiam, et materiam prorsus sensu carentem.

UT investigari possint diversæ formæ, magnitudines, genera, proprietates, et structuræ, animalis naturæ, confugiendum est nobis ad Geometriam aut figuram et mensuram corporum; Mathematicam; Opticen; Machinalem scientiam; Physiologiam; Pneumatica; nec non ad ea quæ ad fluida, lucem, et electricitatem pertinent. Cicada Later-

<sup>1</sup> Anglice, *The sensitive Plant.*

<sup>2</sup> Anglice, *The moving Plant.*



naria<sup>1</sup> lucem continet; et Gymnotus Electricus<sup>2</sup>, a lateribus ejus fulmina jactat, atque ita inter pisces fit tanquam JUPITER parvus. Acies humana per se non satis acuta est, ad omnem animale naturam perspiciendam; millia milliaque animalculorum tantum sunt infra nostros sensus, quantum oculi ea tueri non possunt: vitra optica nobis ostendunt, novos mundos animatos, æque ac orbes cœlestes;

Horum intestinum quodvis, quale esse putandum est?

Quid cordis? globus aut oculi? quid membra?  
quid artus?

Quantula sunt?

LUCRET. lib. IV. VER. 116.

Ex quo, necessitas cognoscendi usum et administrationem Microscopii, clare apparet. In hac re nuperrime inclaruit JOANNES ELLIS, ut videre licet in tractatu ejus de natura Gorgoniarum<sup>3</sup>; tandem autem morbo atque ætate confectus; jam nunc

<sup>1</sup> Anglice, *The Lantern-Fly*.

<sup>2</sup> Anglice, *The electrical Eel*.

<sup>3</sup> Anglice, *Sea-fans, or Sea-feathers*: Vid. Phil. Transf. vol. LXVI. p. 1. et seq.



excessit e vita, et exemplum vobis reliquit et scientiæ et diligentiae, in rebus naturæ, imitatione dignissimum.

Hoc in loco, non silentio prætereundus est GUILIELMUS HEWSON ; quem nuper vidimus, et qui huic Societati ornamento erat. Vir quidem diligens, ingeniosus, modestus ; in usu scalpelli anatomici promptus, in novis inveniendis acutus. Ejus inquisitiones, de sanguinis natura<sup>1</sup> ; et de systemate lymphatico<sup>2</sup> ; sunt laude perdignæ. In experimentis anatomicis peragendis, vulnus inter digitos manus accepit, quo putredine cadaveris infecto, virus noxium in vasa lymphatica se induxit, tumorem glandularum axillæ faciebat, tandemque totum sanguinem vitians, febrem mali generis movebat ; quæ illum sustulit die primo Maii, Anno MDCCLXXIV ; et sic, annos circiter triginta tres natus, diem obiit supremum.

<sup>1</sup> Exper. Inquir. part first : et Phil. Trans. vol. LXIII. p. 302. et seq.

<sup>2</sup> Exper. Inquir. part second.



## §. IX.

DE auctoribus medicis brevissime dicam. Antiqui viri, morbis depingendis, maxime excelluerunt; et optime præfagisse HIPPOCRATEM, et veteres et recentiores omnes ad unum fatentur. Quisquis itaque in hac parte artis præstare vellet, antiquos illos scriptores pro optimis exemplis, et pro peritissimis naturæ æmulis, habere debet:

— — — Vos exemplaria Græca,  
Nocturna versate manu, versate diurna.

HOR. de Art. Poet.

Neque etiam recentioribus laus sua deneganda est; multa enim nova invenerunt de Anatomia, Chirurgia, Herbarum scientia, Materia Medica, Chymia, Oeconomia animali, Rebus Naturæ, nec non de sedibus et causis morborum, et ratione medendi.

OPERA vero medica, quæ potissime laudanda sunt, memoriæ prodita fuerunt ab ALBERTO V. HALLER, viro quidem industriæ incredibilis, judicii acutissimi; et qui totam rem medicam quasi sibi  
apte



apte vendicavit<sup>1</sup>. Scire autem licet, vix ullum esse volumen editum, minoris etiam nominis; quod non aliquid vel utile vel dulce nobis præbeat. Libri vero multiplices qui quotidie in publicum emittuntur, de variis partibus nostræ scientiæ, difficile reddunt, et fere impossibile, ut unusquisque per se eos omnes emeret; nihilominus perquam necesse est ut quisque sciret, quamprimum, omnia nuperrime inventa quæ ad artem pertinent. Bibliotheca itaque publica medica, admodum utilis fieret, præcipue in hac urbe; in qua tot homines medici adsunt, et tanta frequentia eorum qui huc concurrunt, ad hanc disciplinam perficiendam\*.

## §. X.

Quod ad morbos ipsos præcipue pertinet, multa observanda sunt. Genuina et rationalis historia morbi exhiberi debet, accurate comprehendens in-

<sup>1</sup> Vid. Opera ejus omnia.

\* BIBLIOTHECAM ejusmodi, jam jam proposuerunt in publicum Societas Medica Londinensis: et ad hanc promovendam, ex omnibus cupidis literarum, nunc opem petunt.

dicia,



dicia, prout oriuntur; omnibus simul conjecturis vanis, non tantum ab ipsa arte, sed a cogitatione artificis etiam, rejectis. Nec sane inutile erit certa indicia morborum, ab iis quæ incerta sint, discernere.

TEMPORA anni quoque, quæ genera morborum peculiaria secum ferant, diligenter notanda: ea enim sæpe adjuvant, monstrando speciem mali veram, rationemque medendi. Cholera morbus æque certo redit, ac Autumnus ipse; eodemque tempore anni, non raro multa alia vitia incidunt; quæ ventriculum intestinaque afficiunt, et quæ, tametsi non vere Cholerae sint, tamen in eorum curatione ad eandem morbi speciem haud inepte referri possint. Tempora observando quibus Variolæ grassantur, facilius præsumimus an ne iisdem, infantes cæterosque omnes, quos jam morbus non afflixit, vexatos iri probabile erit.

QUÆ juvant, et nocent, potissime etiam cognoscenda. Fideliter enarranda sunt omnia, non fausta tantummodo, ut sæpius fit; sed infasta quoque. "A futuris se deceptum esse, HIPPOCRATES memoriae



riæ tradidit ; more scilicet magnorum virorum, et fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam simplex veri erroris confessio ; præcipueque in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur ; ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus est<sup>1</sup>”.

PRÆTERITA discere, et præsentia noscere, non satis est medico ; futura quoque prædicere oportet ; quæ res quidem non mediocrem honorem medenti attulit. Causas etiam morborum cognoscere semper jucundissimum est ; id ipsum vero, propter humanam imbecillitatem, rarius mortalibus datur ; veritas enim sæpe in puteo alto quasi latet, felixque ille est qui eam sic inde haurire potest, ut omnibus clare pateat<sup>2</sup>. A rebus verum cognitis melius est incipere ; et tum paulatim ad abditas transire.

<sup>1</sup> Cels. lib. viii. cap. iv. p. 515.

<sup>2</sup> Hulme de Scorbuto, p. 33.



RATIOCINATIO autem, in arte medica, ita necessaria est ; ut sine ea minime procedere possimus aut scientiam veram prosequendo, aut causas principiaque rerum investigando ; quibus rejectis, nec observatio utilis, nec experimentum, nec ordo secutura est. Itaque experientia sola sicut quidam dixerunt, medicum non facit ; et ratiocinatione maxima, et cogitatione summa etiam sæpius opus est. Nunquam enim duo casus ita semper similes inter se sunt, ut non aliquantulum discrepent, et novo consilio curantis egeant. Quam multa oriuntur ex diversa corporum natura, ætate, sexu, cœlo, modo vivendi, et mille aliis rebus ? adeo ut ex quoque fere casu, nova tanquam historia morbi oriatur.

QUÆ præcipue indicant rationem curandi, optime trahuntur ex subtili animadversione omnium morbi signorum ; et potissimum eorum quæ maxime periculum ostendunt. Duce etiam natura, nos ad curationem morborum feliciter tendimus. “ Prospicere debet medicus, quamam via materiæ morbidæ expulsionem natura moliri videatur, et hanc omnibus modis adjuvare. Illa vero sæpissime per

F

plures



plures simul corporis meatus peragitur, et altera alteri plus minus obstat; ita fluxus alvi sudores reprimat, et contra. Hinc attendere oportet, qualis humoris emissio plurimum profutura sit; et hanc ita promovere, ut alia quæcunque quam minimum interrumpatur; non enim omnibus eadem convenit; tum propter diversum laborantis temperamentum, tum ob varium morbi genus<sup>1</sup>”.

Modus medendi instrui debet, quantum res finat, a fixis et certis principiis, ab usu et ratiocinatione ortis. Difficultas magna in hac re est, primum quæ vere indicantur invenire; et deinde tempus, et viam agendi, scire. Quod ad curationem vero morborum præcipue pertinet, adeo multiplex medicina fuit, apud auctores medicos; ut sæpius nemo mortalium satis perspectum habeat, an hac an illa potius uteretur. Observare autem liceat, quod, in rebus medicis, ubicunque id fieri appareat; vel causa mali, vel medicina, vel utrumque quidem, medentem ipsum fere semper fugiet. Admirabile autem est, et nunquam non medicis memoria tenendum, id, quod simplex est, naturam potissime

<sup>1</sup> Mead Monit. et Præcept. Medic. cap. 1. sect. 11.

juvare;



juvare ; adeo ut, rebus quidem simplicissimis, morbos quam maxime terribiles, non raro tollat<sup>1</sup>.

PERITI etiam medici est, non morbos curare tantummodo ; sed præcavere quoque. Si quis contagione febris nuperrime affectus sit, et medicamentum ei statim detur, quod et vomitum et alvum moveat ; id nonnunquam morbum venientem protinus solvit. Mundities, ædificia sicca perflatumque integrum habentia, et victus simplex putredinique resistens, ab ipsa pestilentia, urbem totam servare possint. Per inoculationem Variolarum solam, quot homines salvi nunc sunt ; qui, ea rejecta, fœdissimo illo malo perituri fuissent ! Non a re omnino sit observare, DANIELEM PETRUM LAYARD, idem opus Inoculationis, ad salutem pecorum quoque, nuper recte transtulisse<sup>2</sup>. Quis, inter vos, non novit quod nuperrime expertum est de Scorbuto præcavendo, ab experientissimo illo navarcho, JACOBO COOK<sup>3</sup> ; præcipue quidem ex mutato cibo et potu navali ? His enim caute observatis, totum

<sup>1</sup> Hulme de Scorbuto, in præfat. p. VIII.

<sup>2</sup> Vid. Essay on the Nature, Causes, and Cure of the Contagious Distemper among the horned Cattle. Edit. 3. et Phil. Transf. vol. L.

<sup>3</sup> Phil. Transf. vol. LXVI. p. 402. et seq.



orbem terrarum, falvis etiam nautis, tuto ipse circumnavigavit ! Quæ omnia profecto maxime confirmant, quod jamdudum prædiximus, in Libello nostro, de Scorbuto præveniendi in classi Britannica<sup>1</sup> ; id est, ærem maritimum minime esse causam principem Scorbuti ; verum contra, in cibo potuque inepto navigantium, potissime inhærere ; hæc enim sunt ipsissima verba : *Now I humbly presume, that the most powerful and principal cause of the Scurvy, is not in the weakened spring, or foulness of a ship's atmosphere, as MEAD contendeth<sup>2</sup> ; nor yet in the moisture of the air, as LIND<sup>3</sup> ; but in the diet of our seamen. If this then can be so far improved, as to obviate the bad effects arising from thence ; the other causes, in all human probability, will be inconsiderable ; and the Scurvy will rarely if ever appear.* Ad hanc rem non male pertinent ea quæ nuper proposita fuerunt ad eos recuperandos, qui, aquis abrepti, extincti tanquam apparent ; id est, circuitum sanguinis revocando caloris ope, fricationis, vaporis stimulantis, simili-

<sup>1</sup> A Proposal for Preventing the Scurvy in the British Navy, p. 8.

<sup>2</sup> Discourse on the Scurvy, p. 99. et seq.

<sup>3</sup> Treatise on the Scurvy, Edit. 2. p. 68.

que ;



que ; sic enim non raro, a morte velut ad vitam fuscitatus est homo ! Itaque, Societas Humana instituta<sup>1</sup>, eos infortunatos liberandi causa, symbolum hoc aptissimum elegerunt, “ Scintillula lateat forsan.”

§. XI.

Novis rebus inventis, proximum est, salutis humanæ gratia, ut ad cæteras gentes propagandæ sint ; vel in lingua vernacula, vel in peregrina. Quoniam vero multa quotidie reperiuntur, in variis orbis terrarum regionibus, si alius scriberet in lingua Russica ; alius in Suecica, alius in Danica, alius in Germanica, alius in Belgica, alius in Gallica, alius in Hispanica, alius in Italica, alius in Turcica, alius in Sinenfi, alius in Arabica, alius in Anglica ; maximam partem ejus vitæ homo consumeret antequam has linguas mediocriter disceret. Et si hæc, in aliam linguam transferantur, longum temporis spatium prius interponeretur, quam ad nos pervenirent ; et tunc demum ubi id fieret, fortasse vel clauda, vel imperfecta, vel falso red.

<sup>1</sup> Humane Society instituted for the Recovery of Persons apparently drowned, Anno MDCLXXIV.



dita erunt<sup>1</sup>; quia nemo tam bene cogitationes auctoris repræsentare, quam ille ipse potest.

IGITUR præcipue necessarium videtur, ad nostram artem promovendam, ut sit una semper lingua fixa et immutabilis, ad medicam scientiam propagandam. Ex omnibus vero linguis, Latina maxime accommodata est, ad hanc rem; utpote quæ plerumque omnibus, literarum et scientiæ peritis, bene intelligatur; et non sit mutationi obnoxia. His nostris temporibus, apud gentes exteras, nova fere omnia in lingua Gallica conscribuntur; ob hanc causam cognitio ejus linguæ, medico Anglico, utilis erit. Græcos auctores antiquos supra laudavimus; viros quidem et arte et facundia insignes: lingua itaque tantorum virorum præcipue medicis colenda.

§. XII.

APUD nos in tres partes medicina diducta est; ut una sit quæ ad Medicum, altera quæ ad Chi-

<sup>1</sup> Vid. Priestley's *Experim. and Observ. on different kinds of Air*, vol. II. sect. XVI. Quo in loco, *Exempla multa*, ejus generis, videre est.

rurgum,



rurgum, tertia quæ ad Medicamentarium, pertineat. Hi omnes sua officia et negotia habent, quæ ad singulos præcipue pertinent; neque Medicamentarius Chirurghi provinciam debet invadere, neque Medici Chirurgus. Quoniam autem leges Regni, his viris non præscripserunt, vel tempus vel modum agendi; rerum ordo sæpius perturbatur.

PLERUMQUE medicamentarius, primus omnium, ad ægrotum adit; ergo multum ab ejus judicio et ratione medendi pendet, quod ad eventum morbi futurum; in hac re enim quod in principio aut negligitur aut peccatur, ægrius postea corrigitur et emendatur. Medicamentarius, ob hoc, esse debet homo ingenii, experientiæ, integritatis, sine invidia sine avaritia; et si quando res difficiliiores aderint, nec tempus trahere, nec ultra limites suæ peritiæ procedere, antequam opem alienam petat; ne vicem præstet adversarii, non amici. Propterea optandum est, ita legibus Imperii statutum esse, ut nemo quid medicamenti vel præscriberet vel daret qui non, coram viris doctis, et artis medicæ peritis, de scientia ejus, interrogationi idoneæ se submiserit; alioqui enim fieri potest, ut salutis humanæ



manæ præses ars, non solum pestem ei, sed hanc etiam dirissimam non raro inferat.

QUI medicinam exercent, inter se ipsos sicut fratres versari debent, et semper parati mutua beneficia perficere; et si forte culpa alicujus eorum se ostenderet, eam celare potius quam palam facere; semper in memoria tenentes aureum id præceptum, Quod tibi vis fieri, alteri feceris: porro sint aperti, simplices, ingenui, justi, boni, æmuli non invidiosi. Quoties autem, quoties fertur esse, inter artis professores, dissensiones, contentiones, offensiones, altercationes, ostentationes, maledictiones? — Sed vobis parco.

### §. XIII.

QUOD ad Medicum ipsissimum præcipue attinet, literarum doctus esse debet, neque hominum rerumve ignarus. Bonus etiam atque honestus moribus; urbanus, sermonibus comis, ornatu modestus, victu temperatus, et affectuum suorum moderator, sine austeritate gravis, sine levitate hilaris



laris. Ingenii item acuti, intellectus capacis, judicii gravis, animi præsentis; tranquillus inter maximas difficultates, firmus, constans. Humanus quoque, liberalis, misericors, (erga inopes maxime) affabilis, patiens, promptior ægro succurrere quam ejus præmium accipere. Adjice ad hæc experientiam, diligentiam, prudentiam, attentionem, fidelitatem, et altissimum silentium de rebus domesticis. Auxilia item in promptu semper habeat; ad rem fortuitam quamque, quæ ægroto eveneat.

MEDICUS etiam, cujusque partis medicinæ tantum cognoscere debet, quantum satis erit ad consilium suum semper interponendum. Minus recte enim arti præest, qui non omnes ejus partes aliquatenus callet. Febris vel vulnere, vel ulcere, vel abscessu implicari potest; verum quomodo Medicus de re judicet, qui principia Chirurgiæ ignorat? Itaque peritissimus BOERHAAVIUS in eo volumine quod, De cognoscendis et curandis morbis, composuit, de malis quæ extrinsecus corpora affligunt, in ejus principio tractavit; tanquam fidelissime ducant ad notitiam eorum quæ intrinsecus oriantur. "Sensibus enim tunc omnia patent; et facilius intelliguntur. Inflammationem



et varios ejus exitus longe evidentius intelligimus, dum externas partes occupat; quam dum in internis partibus latet. Quantam lucem affundit, tectis capitis morbis, cognitio vulnerum capitis! Idem in multis aliis verum est<sup>1</sup>. Mulier profluvio sanguinis, ex utero laborare potest, quæ simul gravida est; si autem Medicus, in tali casu, Obstetricii imperitus esset; quomodo recte præsagire potest, quid futurum sit? Medicamentariam si quis non probe noscat, confusio magna oriatur, in modo præscribendi; et postea quod præceptum est, an bene an male compositum, ignarus sit.

MEDICUM etiam oportet, non suos errores tantum observare; sed ægroti quoque. Omnia animo Medici diligenter agitanda; nonnunquam enim æger ab eo conatur occultare, id quod maxime necessarium sit cognosci, ad bene de casu judicandum; et sic, (quod perabsurdum est) dum opem petit, malum celat. Quinetiam, æger non raro præcepta Medici ex toto negligit, et tum interdum ita pravus et iniquus est, ut culpam suam

<sup>1</sup> Van Swiet. Comment. tom. 1. p. 217.



in Medentem transferat ; ejusque custodes simul deceptionem sæpe favent.

D E N I Q U E, Medico, quamvis sit pertissimus, quamvis circumspectissimus, quamvis diligentissimus, cum multis difficultatibus, et minus gratis, præter vim morbi colluctandum est ; quæ ab ejus arte separari non possunt. Usu sæpe compertum habiturus erit, fictam sapientiam præferri veræ scientiæ ; audacem impudentiam, humili modestiæ ; fallaciam, sinceritati ; et mille alias injucundas res, quæ sat erunt ad evocandas et exercendas omnes ejus virtutes. Sub his autem, semper in memoria teneat ; virtutem esse, per se ipsam, laudabilem ; et sine hac nihil esse quod laudari meretur : Æsculapiumque etiam ipsum, non sine labore, non sine virtute, in Deorum numerum receptum fuisse.

## D I X I.



## *Historia calculosi hominis.*

**J**OANNES DOBEY, unus e pauperibus fratribus Domus Carthusianæ, annos septuaginta tres natus, indiciis calculi in vesica urinaria hærentis, per tres annos laboraverat. Sæpe dolor vehemens circa lumbos, et sensus gravitatis cujusdam circa pubem, illum vexabant. Aliqua quasi puncta ad finem colis, et in regione vesicæ, sentiebantur. Difficulter urina reddebatur, paulatimque, interdum etiam sponte, destillabat. Eadem subrubra erat, et aliquid crassum mucosum cum ea excernebatur. His temporibus, nonnunquam calculus unus vel alter parvus rotundus, ejectus est : sed id quidem rarius. Alvus plerumque maxime astricta. In ipso accessionis impetu, dolor sæpius ægrum ita excruciat, ut se continere non posset ; sed vehementer et luctuose, per totos dies ac noctes, vociferaretur. Sitis parum aderat, verum lingua et os, ex vagitibus ejus diutinis, ita ficca et simul glutinosa fiebant, ut altera alteri tanquam adhæreret.

MULTI-



MULTIPLEX medicina est adhibita, at nihil valebat, nisi pro tempore : adeo ut sola spes in scalpello poni videretur ; et cui tandem, dolore fatigatus, ipse miser cedere paratus fuit ! In hoc rerum discrimine, quid agendum restabat ? — Quam brevissime dicam.

Quod supra dictum est, de attractione electa, et de vi aëris fixi calculum *extra corpus* solvendi ; incitavit me experiri quid medicamentum, in suo sinu multum aëris ejusdem complectens, *intra corpus* hîc efficere posset. Ergo, statim præceptum est, ut æger assumeret Salis tartari grana quindécim, ex aquæ puræ unciis tribus, quater in die : Et paulo post, eandem mensuram aquæ, cum guttis viginti Spiritus vitrioli tenuis. Opinabar enim hæc medicamenta, separatim sic data, conflictum suum primum in ventriculo hîbitura, indeque vim suam, et melius et celerius per totum corpus ferri. Postea, paucis diebus elapsis, magnopere miratus fui perspicere, in ima urina, multa fragmenta calculosa, et corpus albidum mucosum, cretæ cum aqua mistæ aliquanto simile. Plane item animadvertere licebat idem corpus albidum, fimbriis calculosorum fragmentorum inhærens : quasi pars calculi  
nu-



nuperrime fuisset, jam nunc mutati in hoc corpus albidum cretaceum. Idem corpus ficcatum et contritum, mole magnum erat; pondere autem levissimum. Æger narrabat fragmenta hæc calculosa, vel noctu vel matutino tempore, potissimum excerni. Subinde inter ejus curationem, aliquantum caloris et doloris aderat, circa vesicæ cervicem, et in fistula urinæ; quod oriri mihi visum est, ab irritamentis tot corporum durorum et inæqualium, per eas vias euntium. Igitur his medicamentis, per aliquod temporis spatium, remotis, hæc mala paulatim desierunt. Deinde calculosa fragmenta facilius ejiciebantur, et quantitas corporis albidı cretacei quotidie augebatur. Atque sic calculus inhærens, magna ex parte, e corpore excerni, sub specie albidæ mucosæ materiæ cretaceæ, videbatur; et fragmenta quasi molliora et minora paulatim fiebant quam prius.

INTRA mensem unum, plus centum et octoginta calculosa fragmenta, diversarum magnitudinum, emittebantur: his necessario omissis, quæ perdita erant ubicunque cupiditas desidendi urgebat. Hæc, quando humida, erant fusci coloris; verum quando ficca, subalbidi. Alia, ex tenui lamina facta; alia,



lia, magis crassa erant. Horum singula fuisse fragmenta, calculi majoris, clare patebat; quæ unam partem convexam habebant, alteram concavam: hæc aspera, illa lævis fuit.

PRÆDICTIS medicamentis, per tres circiter septimanas, assumptis, calculosa fragmenta promptius excernebantur, neque postea unquam rediit accessio morbi. Interea, si quando alvus astricta esset, lenibus catharticiis soluta erat: verum medicamenta, supra proposita, plerumque per se, et urinam et alvum satis movebant.

QUOD ad cibum ægroti pertinet, nihil in eo mutabatur; ad jentaculum cœnamque, forbitio prompta erat, et ad prandium, quodcunque mensa Domus Carthusianæ suppeditare solebat. Potionis causa, Aqua juniperi composita, cum multa aqua pura mista, et subinde cyathus vini albi, data erant: rarissime vero potus cupido urgebat.

*F I N I S.*



*Published by the same Author,*

I. **L**IBELLUS DE NATURA, CAUSA, CURATIONE  
NEQUE SCORBUTI : To which is annexed,  
A Proposal for preventing the Scurvy in the British  
Navy. Price 2 s.

II. A TREATISE ON THE PUERPERAL FEVER :  
Wherein the Nature and Cause of that Disease, so  
fatal to lying-in Women, are represented in a *new*  
*Point of View*, illustrated by *Dissections* ; and a ra-  
tional Method of Cure proposed, confirmed by  
*Experience*. Price 3 s.















